Quelle: http://manuscripta.at/?ID=818
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

apostoli. Que post multa miracula
sanitatum cum eam Flaccus comes
suo vellet coniugio sociare triduo
indutias postulans et cum sancta virgine
Feliculam collactanea sua continuis
ieiuniis atque orationibus vacans. iii.
die celebratis dominice oblationis
misteriis a sancto Nycomede presbitero.
mox ut Christi sacramentum accepit.
reclinans se in lectulo emisit
spiritum. Apud Aquileiam natalis sanctorum
martirum Cancij. Canciani. Cancia-
nille fratrum. Turribus Sardinie natalis
sancti Crescenciani. Junius habet

d KL dies xxx. luna xxviiij.

Rome dedicacio Ny-
comedis martiris et presbiteri.
cuius martirium celebratur xvij. kalendas
octobris. Apud Cesaream Palesti-
ne natalis sancti Pamphili presbiteri viri
admirande fidei et sanctitatis qui sub
persecucione Maximini martirio coro-
natus est. Huius vitam Eusebius Ce-
sariensis episcopus tribus libris conprehen-
dit. Vienne sancti Claudij. vndecim
episcopi. Ipso die sancti Caprasij abbatis
monasterij Lyriensis. In Tessalo-
nica natalis Octaviani. In Antiochia
Zosimi. Treveris sancti Symeonis
reclusi. iiij. nonas Junij.

xviiij. Rome natalis sanctorum
Marcellini presbiteri et Petri exorciste
qui multos in carcere ad fidem eru-
dientes post dira vincula et plu-
rima tormenta decollati sunt sub
iudice Sereno. Et qui eos decollavit
vidit animas eorum splendide orna-
tas ab angelis ferri ad celos. et
penitentiam agens sub Iulio papa
baptizatus est in senectute sua no-
mine Theodorus. Lugduni natalis
sancte Blandine cum xl. viij. martiribus.
Cui a prima luce usque ad vesperam
tormenta semper innovantes ad
ultimum victos se tortores confi-
tentur que a secundo die pulsata carni-
fici non superatur. Tercio quoque die
religata ad stipitem atque in crucis
modum distenta bestiis pabulum
preparatur. Quam cum nulla ex bestiis
auderet tangere rursum revocatur
ad carcerem. Quarto etiam verberibus
acta craticulis exusta et multa
alia perpessa ad ultimum gladio
iugulatur. Tunc et Ponticus puer
annorum xv. post omnia tormentorum genera
cum ipsa cruciatus et matrina eius
cohortacione roboratus ante
illam martirium consumavit. viij.
G. iij. non. Junij. Apud